

quod de cetero perpetuis futuris temporibus subditi praefati marchionis et successorum suorum marchionum Misnensium qui erunt pro ad^{a)} cuiusvis instantiam et ex quacunque causa coram huiusmodi vel quibuscunque aliis conservatoribus seu iudicibus ordinariis vel delegatis praeterquam coram praefato episcopo vel eius vicario seu officiali huiusmodi ad iudicium evocari nequaquam possint aut debeant, dummodo alias episcopus vel vicarius aut officialis praedicti in praemissis negligentes non fuerint vel remissi, districtius inhibentes conservatoribus et aliis iudicibus huiusmodi et quibuscunque aliis quorum interest vel intererit, ne subditos huiusmodi contra praesentium tenorem impetere citare ad iudicium evocare seu alias quoquomodo vexare praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Datum Romae apud sanctum Petrum XV. Kal. Septembris pontificatus nostri anno duodecimo.

Gratis de mandato domini nostri papae.

Jo. Gremis.

Nach einem Transsumt vom 20. März 1404 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

a) *porro ad* oder *quoad*?

No. 758. 1401. 5. Oct.

B. Thimo bestätigt die vom Markgrafen Wilhelm gemachte Stiftung des Altars der hh. Nicasius und Katherina in der Domkirche. Vgl. No. 739.

In nom. s. et ind. trin. amen. Cum pastoralis curae intersit etc. Nos igitur Thimo dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis recognoscimus et ad cunctorum notitiam deducimus per praesentes, quia magnificus princeps dominus Wilhelmus marchio Misnensis, Thuringiae lantgravius et comes Saxoniae palatinus pro amplificatione cultus deifici ad laudem omnipotentis dei eiusque genitricis intemeratae virginis Mariae et omnium sanctorum, specialiter in honorem beatorum Nicasii episcopi et confessoris et Katherinae virginis et martyris certos census et redditus annuos, videlicet decem et octo sexagenas grossorum Fribergensium de redditibus suis in civitate Hayn in praetorio sibi hucusque solutis, et cum hoc quatuor sexagenas grossorum dictae monetae census annui et duos grossos octo hellenses in villis et pagis villarum desertarum videlicet Goher et Blumenberg prope civitatem Osschatz in et super novem et dimidio mansis agrorum iacentes, quos cives dictae civitatis Osschatz colunt et laborant, in dotem proprietatem erectionem et foundationem novi altaris seu perpetuae vicariae, siti in ecclesia nostra Misnensi in testudine ante chorum et in honorem sancti Nicasii episcopi et beatae Katherinae virginis et martyris consecrati sub certis modis et ordinatione in sua privilegiali littera obtulit — — cum supplicatione humillima — nobis facta, ut dotem — foundationem altaris praedicti et censuum eiusdem oblationem et ordinationem — ratificare et approbare ac dictum altare et redditus ipsius ecclesiastici beneficii titulo et iuris praesidio insignire ac auctoritate nostra ordinaria confirmare dignaremur. Nos igitur Thimo episcopus Misnensis —